

crocum tritum ex aceto, deinde myrrha trita per se aspergitur, ultimum nitrum et Assius lapis; Phoenicio inducitur.

Acopi genera et compositiones

CCLXVIII. Acopum ad perfrictionem, lassitudinem, tensionem nervorum; idem hieme non patitur perfrigescere artus; hoc Augusta utebatur: samsuci floris sextarium unum, feni graeci sextarium unum, roris marini foliorum sextarium unum, vini Falerni congium, olei Venafri sextarios quinque. praeter oleum omnia in vino triduo macerare oportebit, quarto die oleum adicere et coquere in pruna non acri medicamentum, donec vinum consumatur, postea excolare per linteum duplex oleum cui adhuc calenti cerae Ponticae bessem miscere. reponitur medicamentum fictili vel stagneo vase.

CCLXIX. Acopum quod per vindemiam componitur, antequam mustum defervescit: musti recentis congios quinque; in hoc et olei Venafri pondo quinquaginta macerantur res, quae infra scriptae sunt, contusae et percribratae grandioribus foraminibus cribri: iris Illyricae X p. XL, cyperi X p. XL, feni graeci X p. XL, piperis nigri X p. XL, xylobalsami X p. XL, calami odorati, quo unguentarii utuntur, X p. LXXX, spathes, qua unguentarii utuntur, X p. LXXX, schoeni X p. LXXX, saliancae X p. LXXX, cassiae nigrae X p. XXIII, cardamomi X p. XXVIII, styracis X p. XXVIII, costi X p. XXVIII, myrrhae Amineae X p. XXI, cassiae daphnitidis X p. XXIII, sertulae Campanae X p. XIII, spicae nardi X p. XL. haec cum musto et oleo macerantur vase stagneo aut fictili per dies triginta. oportet autem vas bene clusum et alligatum die bis solvere, immiscere omnia, deinde rursus operire et signare,